


5+6/98

IDIBVS DECEMBRIBVS  
MCMXCVIII



RUMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 126

# PRÆFATIO

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Premium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:  
Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus  
publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum  
editoriam

RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann publicity**  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg

INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/madiga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/madiga/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
UBS, Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:  
Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann publicity**  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/madiga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/madiga/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
UBS, Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Tandem ultimum huius anni libellum RUMORIS VARII manibus tenetis, qui continet symbolas de nostro argumento 'De arte musica' scriptas. Explicare, quanta magnitudine et iucunditate illa ars sit, quanta gaudia vitae nostrae afferat, quanta beatitudine animas hominum afficiat, id esset noctuas Athenas vel lupos Romam vel ursos Bernam vel citharas Hispanicas et saltatrices Flamencas in Vandalicium (Andalucía) ferre, vel aquam in mare fundere.

Itaque nonnullas tantum voces de potestate et vi musicae legite:

"Non est alius aditus ad animam nisi per aures. Soni musicae, numerosi et iucundi, in lucem vocant, quae in anima absconditae sunt, et pulchra et imperfecta patefaciunt." (Abu Hamid Mohammed Al-Ghazali, philosophus Arabicus, 1059-1111).

"Musica unica lingua universalis est, neque translatione ei opus est: Anima ad animam loquitur." (Bertholdus Auerbach, scriptor Theodiscus, 1812-1882).

"Sancta ars musica, tu sola es composita et perfecta in mundo incomposito et imperfecto, et qui te amat et tibi incumbit, numen enuntiat, cui oboedit. Loquere et vitam age eodem modo, quo cantas!" (Jean Paul, scriptor Theodiscus, 1763-1825).



Apollo deus, fautor artis musicae




Novem Musae (Crater Italiae meridiana, circiter 400 a.Chr.n.)

"Si scire vis, num gubernatio civitatis bona sit et mores integri, ausculta musicam eius!" (Kung-fu-tse alias Konfuzius, philosophus Sinensis, 551-479 a.Chr.n.).

"Diabolus, omnium tenebricarum curarum et cogitationum confusarum auctor, sonos musicae eadem fere celeritate fugit, qua a dictis theologiae salutem fuga petit." (Martinus Luther, reformator Theodiscus, 1483-1546).

Denique non dubito, quin nemo fere sit, qui illud dictum celeberrimum componistae Ludovici van Beethoven (1770-1827) ignoret: "Musica est superior revelatio quam omnis sapientia et philosophia".



Statua Apollinis dei, in fastigio templi Iovis Olympiae (anno 457 a.Chr.n.)



Apollo sacra faciens (patera, in museo Delphorum, circiter anno 490 a.Chr.n.)

Gaudeatis igitur symbolas legentes et de arte musica et de aliis rebus, quas hic libellus continet! Amantes rerum obscurarum investigandarum aenigma invenient, quo recte soluto praemia accipi poterunt!

Sit vobis annus novus faustus felix fortunatus!

Valete!

Daniel Weissmann



## De arte musica



## De amore magico (El amor brujo)



Manuel de Falla

Quis nescit illam ballationem scaenicam, cuius musicam mirabilem et pulcherrimam compo-nista Hispanicus nomine Manuel de Falla, natus anno 1776° Gadibus (Gades: Cádiz) in Vandalicia (Andalucía), mortuus anno 1946° in Argentina, cuius sepulcrum in ecclesia cathedrali patriae suea Gadium est, compo-suit? Ecce argumentum a Gregorio Martínez Sierra scriptum:  
Candela (Hispanice: Candelas), mulier iuvenis pulcherrima, olim zingarum malignum, invi-dum, libidinosum, sed blandum et illecebrosum amabat. Quamquam cum eo infelix fuit, eum ardentissime amavit, eum mortuum deflevit, eius non oblita est. Memoria eius, quam conservat, potius somnium hypnoticum, suggestio animi lymphati morbo similis, plena timoris et fascinationis est.

Candela putat zingarum mortuum non omnino mortuum esse et timet, ne revenire possit, ne perget se amare suo modo feroci, perfido, blando. Dicione idoli tenetur.

Sed ver redit, et cum vere amor quoque: Carmelus (Hispanice: Carmelo), iuvenis pulcher et suavis, amore Candelae captus eam petit. Candela amori cedere velit, ipsa paene nescia amat, sed praeteritum tempus redit et eam ab amore novo prohibet: Cum Carmelus Candelae appropinquit et amorem communicare cum ea velit, idolum rediens intervenit et mulierem iuvenem terret et eam ab amatore depellit. Basium amoris perfecti inter se dare nequeunt. Candela paulatim deperit. Sentit se quasi fascinata; amores defuncti eam circumvolitant velut vespertiliones nocentes et fatales. Necesse est remedium invenire.



Ballatrix Matritensis **Tamara Rojo**,  
ballatrix primaria Catervae Ballatoriae  
Nationalis Anglicae, sine ullo dubio  
partibus Candelae idonea.

venit et Candelae appropinquit; statim idolum accurrit....sed invenit pulchram Luciam neque illecebris eius resistere potest: numquam conspectui pulchrae puellulae resistere potuit. Luciam petit, blanditur, eam implorat, et zingara dulcis adeo placendi studiosa est, ut eum paene ad

Carmelus aliquid invenit: Fuit comes illius zingari, cuius idolum Candelam semper inquiescit. Scit illum amatorem perfidum et invidum fuisse. Itaque putat mortuum quoque cupiditate mulierum pulchrarum regi et hac infirmitate animi eius uti et eum ab invidia post mortem averti necesse esse, ut Candela et Carmelus tandem basium perfectum inter se dare possint, in quod artes magicae amoris non iam efficaces sunt.

Carmelus Luciae, pulcherrimae et iuveni zingarae, amicae Candelae, persuadet, ut simuletur amorem idoli petere. Lucia consentit, et amore Candelae et curiositate feminea commota: Cogitatio lusus blanditiarum cum idolo ei nova et iucunda videtur. Et mortuus erat tam laetus, dum vita manebat....

Lucia in statione se ponit. Carmelus

desperationem adducit.

Interea Carmelo tempus satis est, ut Candelae de amore suo persuadeat. Vita et tempus praesens praeteritum et mortem vincunt. Tandem amantes basium inter se dare possunt, quo vis perniciosa idoli superatur. Quod amore victimum omnino moritur.

Inter sonos symphoniacos et campanarum Candela cantat:

¡Ya está despuntando er día!  
¡Cantad, campanas, cantad!  
¡que vuelve la gloria mía!

Iam dies illucescit!  
Cantate, campanae, cantate!  
Beatitudi mea redit!

Ecce tres cantiones in hac ballatione scaenica insertae:

### Canción del amor dolido

¡Ay!  
Yo no sé qué siento,  
ni sé qué me pasa  
cuando este mardito  
gitano me farta.  
Candela que ardes...  
¡Más arde el infierno  
que toita mi sangre  
abrasá de celos!

¡Ay! Cuando el río suena  
¿qué querrá decir?  
¡Ay!  
¡Por querer a otra  
se orvía de mí!

¡Ay!  
Cuando el fuego abrasa...  
Cuando el río suena...  
Si el agua no mata al fuego,  
a mí el pesar me condena,  
a mí el querer me envenena,  
a mí me matan las penas!

### Cantio de dolore amoris

Heu!  
Nescio, quid sentiam,  
nescio, quid mihi eveniat,  
cum iste exsecratus  
zingarus me deserit.  
Candela, quam ardes...  
Magis ardet infernus  
quam totus sanguis meus  
inflammatus invidia!  
Heu! Cum fluvius sonat,  
quid dicere cupiet?  
Heu!  
Aliam amans  
mei obliscebatur!  
Heu!  
Cum ignis flagrat...  
Cum fluvius sonat...  
Si aqua ignem non extinguit,  
maeror me condemnat,  
amor me venenat,  
dolores me interficiunt!

## Canción del Fuego Fatuo

Lo mismo que er fuego fatuo,  
lo mismito es er queré.  
Le huyes y te persigue,  
le yamas y echa a corré.  
¡Lo mismo que er fuego fatuo,  
lo mismito es er queré!

¡Malhaya los ojos negros  
que le alcanzaron a ver!  
¡Malhaya er corazón triste  
que en su yama quiso arder!  
¡Lo mismo que er fuego fatuo  
se desvanece er queré!

## Canción del Juego de Amor

¡Tú eres aquel mal gitano  
que una gitana quería!  
¡El querer que ella te daba,  
tú no te lo merecías!  
¡Quién lo había de decir  
que con otra la vendías!

¡Soy la voz de tu destino!  
¡Soy er fuego en que te abrasas!  
¡Soy er viento en que suspiras!  
¡Soy la mar en que naufragas!



## Cantio flammae errantis

Idem ac flamma errans,  
idem est amor.  
Eum fugis et te persequitur,  
eum advocas et incipit aufugere.  
Idem ac flamma errans,  
idem est amor!

Exsecrati oculi nigri,  
qui eum aspexerunt!  
Exsecratum cor triste,  
quod in flammis cupivit ardere!  
Eodem modo ac flamma errans,  
amor elabitur!

## Cantio lusus amoris

Tu es ille malus zingarus,  
quem zingara amabat!  
Amorem, quem illa tibi dabat,  
tu non merebas!  
Quis dicere potuisset  
te eam propter aliam prodere!  
  
Sum vox fati tui!  
Sum ignis, in quo flagras!  
Sum ventus, in quem suspiras!  
Sum mare, in quo naufragium facis!

Daniel Weissmann

## De ballatione scaenica nomine 'Giselle'

Ballatio illa semper multis hominibus admirationem movet. Fabula ballationis a Theophilo Gautier, poeta Francogallico, redacta est. Argumentum fabulae traxit ex opere quodam Henrici Heine, poetae Germani, qui librum 'De Germania' scripserat. Modi musici ab Adolpho Adam compositi sunt.

Paucis annis ante Mediolani ballatio ea in theatro celeberrimo, cuius nomen est 'Teatro alla Scala', me magna laetitia affecit. Est enim opus aptum ad animos alliciendos, fabula poetica decorum, omni modo varium et elegans.

Ecce argumentum fabulae: In vico quodam, in ripis amoenis Rheni fluminis sito, incolae vindemias celebrant. Inter hospites est Albertus princeps, qui puellam nomine Gisela (Francogallice: Giselle) maxime colit. Puella autem originem nobilem iuvenis ignorat. Albertus enim se hominem humili loco natum fert. Venationis custos quidam a puella repudiatus principem agnoscit et invidia motus puellam ulcisci vult. Puellae mater frustra filiam monet, ne ad iuvenem alienum se adiungat. Narrat filiae fabulam 'Villorum'. Villi puellae eae appellantur, quae ante nuptias moriuntur et in umbras mutantur. Noctu viros, quibus obviam sunt, alliciunt et eos cogunt, ut semper saltantes mortem obeant.

Magna copia venatorum hominumque aulicorum e venatione revertuntur. Apparet quoque quidam elector dux cum filia sua, Alberti principis sponsa. Nunc venationis custos Giselae originem nobilem iuvenis amat revelat. Albertus dicta custodis affirmare debet. Gisela omni spe depulsa, mente alienata, principis gladio sibi mortem consciscit. Paucis annis post Albertus, conscientia mala vexatus, in vicum eundem revertitur. Noctu 'Villi' sepulcris exeunt, et Albertus inter umbras puellam amatam reperit. A regina umbrarum autem cogitur, ut saltans mortem occumbat. Frustra veniam petit. Tum Giselae umbra hominem amatum ab atrocitate mortis vindicare potest. Cum Alberto usque ad solis ortum saltat. Terrores magici evanescunt. Albertus solus relinquitur magno animi motu perturbatus.

Permulti ballatores ballatricesque partes primas ballationis eius egerunt. Inter ballatrices praeclaras partes primas agentes Fanny Elssler, Carla Fracci, Elisabetta Terabust, Noëlla Pontois nominandae sunt. Partes Alberti principis a ballatoribus nomine Vladimir Vassiliev, Gheorge Iancu et Peter Schaufuss miro modo actae sunt.

Barbara Maier



Prima exhibito ballationis 'Giselae' anno MDCCCXLI° Lutetiae facta est



### De melodramate nomine 'La Traviata'

Inter melodramata celeberrimi componistae Italici Iosephi (Giuseppe) Verdi (1813-1901) illud opus titulo 'La Traviata' unum e notissimis clavissimisque est, quod saepissime exhibitur toto in mundo.

Fabulae libellum Franciscus (Francesco) Maria Piave secundum narrationem 'Mulier camelis ornata' (La Dame aux Camélias) ab Alexandre (Alexandre) Dumas filio scriptam confecit.

Primum melodrama 'La Traviata' in theatro 'La Fenice' Venetiis exhibitum est die 6° mensis Martii anno 1853°.



Exhibitio Bernensis cantatrice Noémi Nadelmann  
primas partes agente

*Actum primum:* Lutetiae in domo Violettae Valéry, feminae magna pulchritudine sed quadam infamia propter modum vivendi (quae Franco-gallice 'courtisane' vel 'demi-mondaine' appellatur), dies festus agitur. Inter convivas etiam Alfredus Germont est, qui Violettam iam diu amat et procul admiratur. Vinum Campanicum bibens illud celeberrimum sincinum in honorem vini et amoris cantat. Tum ad ballationem itur. Violetta, quae phthisi laborat, subito impetu morbi affectatur, sed mox reficitur. Sola cum Alfredo relinquitur, et ille ei amorem suum confitetur et implorat, ut sibi una cum ea vitam agere concedat.

Violetta se aliquem vere amare non posse respondet, sed amicitiam suam Alfredo offert. Cum Alfredus abit, ei cameliam dat et petit ab eo, ut revertatur, cum flos defloruit. Sola relicta Violetta amore quidem Alfredi commovetur, sed illos sensus repellit et vitam liberam et voluptati deditam pergere vult.

*Actum secundum:* Alfredus cum Violetta felix apud Lutetiam ruri vivit. Sed Alfredus e vita beata eripitur, cum ab Annina, famula eius, certior fiat Violettam Lutetiam se contulisse ad bona sua vendenda, ut sumptus vitae cum eo praestare possit. Statim Alfredus quoque Lutetiam properat ad pecuniam comparandam.

Alfredo absente pater Alfredi, Georgus (Giorgio) Germont, apud Violettam appetet. Ab ea petit, ut coniunctionem cum Alfredo resolvit. Aliter filiam suam, sororem Alfredi, viro honesto in matrimonium dare non potest, quod Alfredus cum Violetta, femina famae malae propter vitam luxuriae et voluptatibus olim deditam, coniunctus est. Etiamsi Georgus intellegit Violettam mulierem honestam esse, proposito desistere non vult et poscere perseverat, ut Alfredum deserat in perpetuum. Postremo Violetta amore Alfredi commota consentit et eum epistula certiore facit se eum deserere non explicans, quibus de causis sic agat.

Alfredus, cum revertit, epistulam invenit et furore desperationeque capit. Frustra pater eum consolari conatur. Alfredus, cum in mensa scriptoria Florae, amicae Violettae, invitationem ad diem festum invenit, ira et invidia furiosa captus Lutetiam fertur.



Noëmi Nadelmann

In domo Florae dies festus agitur. Alfredus iam adest, cum Violetta cum barone (baro: ille ordo, qui Franco-gallice 'Barone' dicitur) Douphol, qui olim amator eius fuerat, venit. Alfredus chartiludio incumbit et baronem semper vincit. Acerbis verbis dicit 'Fortuna in ludo – miseria in amore'. Furor et incitatio animi magis magisque crescit. Alfredus cum Violetta colloqui conatur et eam implorat, ut sibi mutationem mentis subitam sine causa manifesta factam explicat. Violetta, quae patri Alfredi promisit se veras causas, quibus Alfredum non sua sponte deseruit, non prodituram esse, eum rogat, ne diutius se quaestionibus premat, sed abeat. Postremo Violetta Alfredo in quaerendo non desinenti dixit se baronem

amare, quamquam re vera semper Alfredum amat. Summa ira et furore incensus Alfredus ei maledicit et pecuniam, quam e chartiludio cepit, ei velut meretrici vulgari ante pedes proicit. Violetta maxime laesa collabitur. Subito pater Alfredi adest et filium vehementer reprehendit, quod mulierem adeo offendit. Baro Douphol in duellum eum vocat.

*Actum tertium:* Lutetiae Violetta in domo sua morbo paene confecta in lecto versatur. Finis vitae non procul est, medicus eam paucas horas tantum victuram praedicit. Violetta sibi conscientia se morituram res paucas, quas possidet, partim pauperibus partim Anninae famulæ legat. Per fenestram rumores carnevarii, quod illis diebus in viis Lutetiae agitur, audiuntur. Annina epistulam Georgi Germont apportat. Qui scribit Alfredum in duello baronem vulneravisse et tum in externas terras fugisse. Se Alfredo omnia aperuisse et ipsos ambos ad eam venturos esse. !

Paulo post Alfredus et Georgus Germont adveniunt, ut veniam a Violetta petant. Postquam Alfredus et Violetta amorem inter se confessi sunt, ea amoris Alfredi certa moritur.

Bernae in theatro nuper exhibito pulcherrima huius melodramatis facta est. Cantatrix Helvetica celeberrima et mira, Noëmi Nadelmann, primas partes egit. Nata anno 1962° Turici ibi examen maturitatis superavit. Tum Turici et in urbe 'Bloomington' (in America Septentrionali) in universitate Indiana (Indiana University) arti canendi incubuit apud cantatricem nomine Carol Smith. Primum Venetiis in theatro 'La Fenice' in publicum prodiit. Annis 1990° ad 1993<sup>um</sup> Monachii (München) in theatro ad Aream Hortulanii (Theater am Gärtnerplatz) cantabat. Ex anno 1993° etiam in theatro melodramatico publico (Staatsoper) Monachii, Vindoboni (Wien) in theatro populari (Volksoper), Genavae, Novi Eboraci (New York) in theatro Metropolitan, Turici, Berolini in theatro melodramatico comico (Komische Oper) Bernaeque magno successu prodiit.

Daniel Weissmann



### Te deum...

Quia in pace constituenda homines 'Te deum laudamus' cantare solent, maxime idoneum esset eos bellum gesturos 'Te diabolum damnamus' cantare. Nonne poeta dignum esset, 'Te diabolum' componere, et musico, illos versus modis musicis ornare?

Georg Christoph Lichtenberg  
(In Latinum vertit Daniel Weissmann)

## De Hildegarde Bingensi, muliere excellente aetatis mediae



Hildegardis Bingensis

Hoc anno mulier celeberrima memorabilisque 900 annos nata est: Hildegardis Bingensis, mystica, prophetis, rerum variarum multarumque velut artis et musicae et poeticae et medicinae vel theologiae perita, monacha Benedictina, quae indoctam se ipsam esse modeste dicens una doctissimarum mulierum illius aetatis fuit.

Non modo papae (inter eos Eugenius III), caesares (velut Fridericus Barbarossa), duces, sed etiam homines mediocres et humiles eam, 'Sybillam Rhenanam', de rebus theologicis, politicis privatisve consuluisse dicuntur. Hildegardis etiam cum mystico Bernardo de Clairvaux et aliis suae aetatis abbatibus et doctis hominibus litteris coniuncta est, quod ex epistulis 300 fere ad nos traditis cognosci potest.

Nata est Hildegardis anno 1098° in vico nomine 'Bermersheim' apud oppidum Alzeiam (Alzey) in Palatinato (Pfalz) sita. Fuit decimus infans viri nobilis nomine 'Hildebert von Bermersheim'.

Octo annos nata a parentibus in monasterio Benedictino nomine 'Disibodenberg' collocata est. Abbatissa nomine 'Jutta von Spanheim' magistra et educatrix puellae facta est. Jutta mortua ab monachis anno 1136° abbatissa conventus mulierum monasterii creata est.

Anno 1141° monasterium 'Rupertsberg' apud Bingium extruendum curavit. In conventu Treviris (Trier) annis 1147° et 1148° papa Eugenius III eam prophetem confirmavit.

Scrispsit vi prophetica opera de religione, de rerum natura, de arte medica, inter quae 'Scivias', 'Physica', 'Causae et Curae', 'Liber vitae meritorum', 'Liber divinum operum'.

Magno ingenio opera musica quoque composuit, quae sonus primigenios, harmoniam et ordinem mundi, cantus angelorum, memoriam origi-

nis divini generis humanae ostendunt et reddunt. Cantus homophonus 'Symphoniam harmoniae coelestium revelationem' nominavit. Plerumque textus a se ipsa compositos musica affecit. Traduntur 77 opera: antiphonae, hymni, responsoria, sequentiae et ludus musicus 'Ordo virtutum', qui 85 cantus continet.



Hildegardis Bingensis, vi afflatus divini illuminata in cella sua scribens. Per fenestram monachus Volmar, famulus eius, inspicit.

(E codice abbatiae Sanctae Hildegardis, Eibingen).

Quo in ludo, quem – ut alia opera – ad animae recreationem delectationemque et laudem Dei, ut in communitate monasteriali mulierum cantarentur, composuit, animae defectio ab virtutibus seductae a diabolo et paenitentia commotae reditus eius in gremium salutis describuntur. In hoc ludo diabolus tantum loquitur neque cantat: Dominus inferni artis divinae musicae particeps non est.

Componendi modus Hildegardis proprius et ingeniosus est. Sonorum gradus Gregorianici cantus plani – ut dicitur – illius aetatis excedit et ambitum melodiarum in octavam et medium amplificat.

Die 17° mensis Septembris anno 1179° Hildegardis proiecta aetate in monasterio suo 'Rupertsberg' animam efflavit, ab omnibus valde dilecta. Quod monasterium in Bello Triginta Annorum omnino deleta est.

Supra monasterium antiquum nomine 'Eibingen' apud vicum 'Rüdesheim' sicutum nova abbatia Benedictina nomine 'Sanctae Hildegardis' annis 1900° ad 1904° condita est. Ibi scrinium et reliquiae Hildegardis sunt. 60 fere monachae secundum praecepta Benedictina vitam agunt. Hodierna abbatissa 38° gubernatrix Hildegardi in hoc munere succedens est.

Anno 1498° Hildegardis 'monacha et prophetis' inter sanctos recepta est,

anno 1586° papa Sixtus V eam in 'indicem martyrorum et sanctorum omnium terrarum et temporum' recepit.

Hoc anno propter anniversaria nongentesima multi phonodisci editi sunt, ex quibus musica et ingenium Hildegardis cognosci possunt.

Daniel Weissmann



#### **De melodramate nomine Orpheus**

Orpheus (Italice: *Orfeo*) opus celeberrimum Claudio Monteverdi componistae est. Cremonae natus Monteverdi initio saeculi septimi decimi Mantuanum in ducum aulam se confert, ubi munere moderatoris musicorum fungitur. Aetate nostra melodrama nomine *Orpheus* a Carole Orff retratum est. Vos omnes certe fabulam illam de Orpho et Eurydica ab Ovidio poeta optime praebitam legitis.

Melodrama imagines tres continet.

*Imago prima:* In regione Arcadiae sumus. Pastores nymphaeque pulchritudinem veris laudant. Orpheus et Eurydica amoris delicias cantant. Saltationes chorique et oculos et aures delectant.

*Imago secunda:* In silva amoena sumus. Procul cantus Orphei auditur. Chori ei respondent. Tum cantor ipse appetet semper cantans. Appetet quoque nuntia quaedam et auditores de Eurydice morte certiores facit. Orpheus magno dolore affectus sine coniuge diutius vivere non vult. Eam ad inferos sequi cupit.

*Imago tertia*: Orpheus per portam Taenariam ad inferos descendit. A mortuorum custode autem ab aditu Orci impeditur. Lyra canens custodem simpliciter implorat: "Redde mihi uxorem meam. Malam hoc loco manere quam solus ad solis lucem ascendere." Custos postremo cantu miro et precibus Orphei motus: "Sit tibi", inquit, "quod cupis. At scito haec: Noli uxorem tuam prius conspicere, quam sub portam Taenariam veneris." Eurydica umbras relinquit et coniugem sequi coepit. Ambo taciti ascendunt. Tum autem Orpheus de praesentia Eurydicae dubitans et cupidus videndi se convertit. Statim uxor recedit. Frustra coniux miser uxorem complexu tenere conatur. Illam in perpetuum perdit.

Melodrama illud sane opus magna pulchritudine est. Varietate chororum maxime valet. Cantus Orphei apud inferos pulcherrimus est. Cantor ibi artem suam optime monstrare potest. Partes Orphei a cantore mediae vocis, partes uxorius a cantatrice vocis acutae aguntur. Cantus bassus custodis, cantus altus nuntiae est. Monteverdi iure componista ingenii maximus dicitur.

Barbara Maier



## **De artis musicae periculis**



Jean-Baptiste Lully

Nonnumquam ars musica non sine periculis exercetur, ut exemplum musici Ioannis Baptistae Lulli (Jean-Baptiste Lully) demonstrat. Qui componista, moderator musicorum, violonista, saltator actorque origine Italica – natus est anno 1632° apud Florentiam nomine Giovanni Battista Lulli – anno 1646° Lutetiam in aulam regis Francogallici Ludovici XIV venit. Tum ab rege componista aulicus factus est et multa melodramata et ballationes scaenicas composuit.

Jean-Baptiste Lully Illa aetate moderator musicorum in operibus exhibuendis magno baculo, quo solum pulsaret, numerum indicare solebat. Cum Ioannes Baptista Lullus 'Te deum', quod opus ad regis valetudinem recuperatam a morbo celebrandam compo- suerat, exhiberet, summo studio musicos moderans ictu baculi magna vi pulsi pedem suum percutiens vulneravit.

Vulnus pedis ulcerare intumuit, et, cum praecerta medici neglegeret, Ioannes Baptista Lullus die 22º mensis Martii anno 1687º sepsi ex hoc vulnere orta mortuus est.

Daniel Weissmann



## Adhuc vivit Mani Matter!

(Symbola ad thema, quod est de arte musica)



Ut iuvenes nostrorum dierum de *Familia Kellyana* (vulgo: Kelly Family) fabulantur, *Condimenti Puellas* (Spice Girls) venerantur, *Viae Stratæ Posterioris Pueros* (Back Street Boys) gloriantur, ita iam duobus vel tribus annis post nemo fere sciet, quis musici dicti fuerint. Qui hodie catalogum carminum saepissime auditorum anteeunt, iam crastino die oblivioni tradentur, quam si numquam exstitissent. Quorum photographemata antea summa cum reverentia parietibus infixa detrahentur et alia infingentur. Qui discos sonantes (compactos) et phonocasetas vendendos curant, iam novos novasque artem musicam exercentes in publicum producent.

Sunt autem, qui mirum in modum tempora et annos vivi, ut ita dicam, superent, etsi iam mortui sunt. Memorandi sunt exempli gratia 'classici', qui dicuntur, velut Bach, Mozart, Beethoven multique alii. Sed etiam inter artem minus elatam gignentes inveniuntur, quorum musica et carmina per annos libenter audiri non desita sint.

Mense Novembri anno 1972° Ioannes Petrus Matter Bernensis, qui nomine *Mani Matter* tota in Helvetia tunc temporis notus erat, infeliciter casu autocinetico animam efflavit triginta sex modo annos natus. Dum vivebat, homines carminibus simplicibus, sed partim hilaribus, partim satis philosophicis delectabat. Ad quae canenda ei tantummodo voce et cithara Hispanica opus erat, cum hodierni musici ne unum quidem sonum proferunt nisi electricina tota adhibita!

Mani Matter de variis rebus, plerumque quotidianis, canebat, quas facetiarum lepore suo inimitabili ita proferebat, ut audientes primo risu fere rumperentur, sed, cum melius auscultarent, nuntium clandestinum acciperent, qui vitam humaniorem postularet et suaderet.

Tali modo dupli, ut ita dicam, Mani(o) Matter contigit, ut non adulti

solum, sed etiam iuvenes liberique carmina eius libenter audirent – et audiant!

Hodie enim, viginti sex annis post eius mortem, in permultis scholis totat in Helvetia carmina Matteriana a discipulis canuntur. Ii, qui Mani(um) Matter numquam vivum viderunt neque audiverunt, eius carminibus gaudent. Canunt Esquimensem ab ursa captum et devoratum, rident Guilelmi Tell partes in caupona nomine *Leonis* actas, deplorant duos aëriplanigas propter benzinam deficientem de caelo cadentes, mirantur virum per officinas errantem exitumque non iam invenientem, obstupefiunt tramine urbano in taurum mutato, aegre ferunt Hugonem illum Sanders politicum ea, quae dicere sibi proposuerat, dicere non audentem, flent propter miserum Ferdinandum felem vel propter miseriorem Carolum Dällenbach, risum non tenent ob Lottiam strabonem vel ob eum, qui autocinetum in area stativa collocare non potuit, quod viginti centesimorum ei nummus non erat.

Non *pascua*, *rura*, *duces* Mani Matter cecinit, sed horologium excitatorium, tonstrinam, tramina ferrivaria, pictorem vaccarum, Fridericum celerimum, Siddhi(um) Abd-el-Assar Hamensem Arabem.

Eadem carmina omnia non ephemericia erant, sed usque ad dies nostros supererant. Pueri nostri dum palam *Condimenti Puellas* admirantur, clam carmina Matteriana auscultant. Et cum magistra "Hodie", inquit, "carmen Esquimensis canamus!", eorum oculi micant sicut stellae. Vae discipulo ultro false canenti! Immisericorditer a ceteris vituperatur.

Sed quid diutius blaterem? Accipiamus Mani(i) Matter duo exempla Latina:

### Apud tonsorem

Tonsorem cum adirem, sedi ante speculum  
et vidi in eodem post me esse ceterum,  
in illo autem vidi rursus meum speculum  
et in eodem vidi id, quod post me, iterum.

Et sic continuata res est sicut transitus,  
in quo est mei capitis inflatus numerus.  
Aspexi totam seriem, iam centum capita.  
Postrema ignoravi, quod sunt facta minima.

Evanuit sic caput infinito transitu,  
quod vix imaginandum est humano spiritu!  
Evanescens vidi meam totam faciem,  
quam nil si esset, clarum ante iam meridiem!

Horrore captus meum statim os aperui,  
aperta centum tunc sunt ora et transitui  
virorum chorus visus est, e chorus solo me!  
Timore sum imbutus mira hac effigie.

Detraxi mappam, e tonstrina cito abii  
barbatus, exculpandi pauca verba protuli.  
Et saepius si uti vis tonsore tandem me,  
prohibebar, ne eam, cur, nunc scis dilucide.

#### Modus carminis 'Apud tonsorem'

Modus carminis 'Apud tonsorem'

C Am Dm

G<sup>7</sup> C Am

Dm G<sup>7</sup> Dm G<sup>7</sup>

2.: tantum in ultima stropha!

#### De Friderico celerrimo

Est Friderico iuveni, est Friderico iuveni  
celeritas ut fulmini, celeritas ut fulmini.

Tam cito ille properat, tam cito ille properat,  
ut nemo eum videat, ut nemo eum videat.

Et properans continuo, et properans continuo  
monstratur nulli oculo, monstratur nulli oculo.

Confiteor versificus: Confiteor versificus:  
Fortasse est ficticius! Fortasse est ficticius!

#### Modus carminis 'De Friderico celerrimo'

C F C

G<sup>7</sup> C G<sup>7</sup> C

In cantando quisque versus repetitur!

Martin Meier



## 'OCCULTAE MUSICAE NULLUM ESSE RESPECTUM'

(Suetonius, Nero 20, 1)

### Scientiam tuam de arte musica investiga!

1. Primus compositor, cuius opus totum in indice thematico et scientifico ordinatum est
  - a) Iosephus Haydn
  - b) Wolfgang Amadeus Mozart
  - c) Ioannes Sebastianus Bach
2. Is index anno MDCCCLXII° constitutus, constanter correctus et emendatus, ultima vice anno MCMXLVII° ab A. Einstein, Theodisce appellatus est
  - a) Opusverzeichnis
  - b) Einsteinverzeichnis
  - c) Köchelverzeichnis
3. Tempore, quo Christophorus Villibaldus Gluck vivebat, mos erat, ut in omnibus melodramatibus exitus esset faustus. Itaque in hoc opere lyrico Agamemnon inhumanus non est, sed sensibus altis, nobilibus et dignis praeditus est. Initio operis, conscientia sceleris sui cruciatus, adventum filiae et uxoris differre vult. Cum illa in insulam advenit, Agamemnon praetextum invenit, ut filiam statim abeat. Dicit enim Achillem virgine indignum esse. Sed Graeci obstinati sunt et victimam immolandam poscunt. Tum intervenit Diana dea. Titulus huius melodramatis est
  - a) Raptus in Serralio
  - b) Iphigenia Aulide
  - c) Nuptiae Figari
4. In 'Guilelmo Tell' a loachimo Rossini facta
  - a) Arnoldus, filius ducis Helvetii Melchalis, et Mathilda, soror tyranni Austriaci Gessler, inter se amant.

- b) ad virtutem filiae defendendam unum e militibus Gessler occidit Guilelmus Tell.
- c) die centesimo anniversario dominationis Austriacorum Gessler petasum suum in summa pertica depositus et Helvetios se prosternere iubet. Guilelmus Tell non recusat. Gessler tamen imperat, ut malum positum in capite Mathildae sagitta transfigat.
5. J.B. Casali, contrapunctista doctus, de discipulo suo haec dixit: "asinus in musica." Qui tamen anno MDCCCLXVI° opere suo lyrico Vindemiatricibus Romae triumphum obtinuit. In opere suo lyrico 'Andromache' studium suum motus novi patefacit, ut sobrietas et sinceritas praevalent. Permutationis Civilis rebus atrocibus affectus, mox artem suam deserit et se totum in litteras refugit. In arte musica nullo iam labore fungebatur nisi muneribus inspectoris Conservatorii Musici Parisiensis, quod modo conditum erat. Qui est
  - a) Nicolaus Piccinni
  - b) Christophorus Villibaldus Gluck
  - c) Andreas Modestus Grétry
6. Rogerus Raimondi est
  - a) organista
  - b) compositor
  - c) barytonista
7. Caesarem Borim ostendit ut virum oppressum fato suo, obsessum eo infanticidio, quod commisit, ut regnum sibi pararet. Ad hoc, populo confecto egestate, crudelitate iniuriaque, Boris putat deos ei infestos esse, et inclusus in solitudine interiore, paulatim in dementiam labitur. Opus compositum vir ingenio summo et natura vehementi, vir e gente nobili at patrimonio naufraga ortus:
  - a) Modestus Mussorgsky
  - b) Riccardus Wagner
  - c) Petrus Tchaikovsky

8. 'Requiem Theodiscam' composit
- Robertus Schumann
  - Ioannes Brahms
  - Franciscus Liszt
  - Georgus Fridericus Händel
9. Midas rex asini aures habet. Curnam?
- Musica pugna Apollinem Pani opponebat. Musicae artis nihil sciens, Panem victorem pronuntiavit.
  - Rem occultam audivit
  - Pater eius asinus fuit.
10. Cantus primitivus, qui a provincia Minho venit et quem populus die Sancti Ioannis cantare solebat. Origo eius Afrobrasiliensis est, id genus enim a servis nigris allatum est, qui fofam et lundum saltabant. Qui cantus est
- fado
  - salsa
  - flamenco
11. Inter instrumenta infra invasorem exclude!
- tibia
  - fistula
  - bucina
  - lyra
  - tuba
  - cornu
12. Per vitam totam vehementer afflictus est, quod in schola magna musicae discere non potuit. Cantor vitam musicam ingredietur et cantor solus fiet, sed organum, violam et alia instrumenta non omittet. Dicere solebat: "Quicumque tantum studebit quantum ego, tam bene facere poterit." Opera sua sunt Passiones, Oratoria, Cantica...
13. Herbertus von Karajan est
- musicorum moderator
  - tympanista
  - solistarius
14. Patris iussu studia iuridica incepit simul et musicam discebat. Muneribus iuridicis omissis in conservatorium Petroburgi intravit. Qui celeritate et facilitate incredibili opera componebat. Nocte quadam ducentas variationes de argumento dato composuisse traditur. Anno MDCCCLVI° theoriam musicam docere incipit. Eodem tempore primam symphoniam tanto ardore composuit, ut aegrotaret. Ad pecuniam acquirendam munus scribae musici accepit.
- Léo Delibes
  - Milij Balakirev
  - Petrus Tchaikovsky
15. Musicam militarem invenit et conservatorium Lutetiae creavit
- Franciscus Iosephus Fétis
  - Ioannes Absil
  - Franciscus Iosephus Gossec
16. Plectrum opus est
- violonistae
  - altistae
  - bassistae
  - chorago
17. 'Symphoniam Patheticam' composit
- Carolus Orff
  - Claudius Monteverdi
  - Ioannes Sebastianus Bach

- a) Gustavus Mahler
  - b) Petrus Tchaikovsky
  - c) Felix Mendelssohn
  - d) Ludovicus van Beethoven
  - e) Antoninus Dvorak
18. Organarius clarissimus fuit. Optimae violinae ex abiete et acere et inductae verniciis valde aestimatis propter pelluciditatem suam, colorem atque virtutes auditorias fabricavit
- a) Ioannes Sebastianus Bach
  - b) Ingvarus (Igor) Stravinsky
  - c) Antonius Stradivarius
19. MUSICA: "Mea Unica Spes Iesus Christus Amen" vel Theodisce "Mein Vertrauen Steht In Christo Allein" est dictum
- a) Barbarae Sophiae von Württemberg
  - b) Martino Luther
  - c) Sigismundo von Brandenburg
20. "Nunc hic aut numquam" (It's Now Or Never) cantavit/cantaverunt
- a) Beatles
  - b) Ram Jam
  - c) Elvisu Presley
  - d) Status Quo
  - e) Bob Marley

Hanc investigationem vobis proposuit Stella GITTA

### Solutiones:

1b – 2c – 3b – 4a – 5c – 6c – 7a – 8b – 9a – 10a – 11d – 12c – 13a – 14c – 15c – 16a – 17b – 18c – 19a – 20c

- ⤒ Si **minus quam sex** punctos numeras, et inter eos ultimum, noli desperare! Ad compositores classicos non pronus esse videris.
- ⤒⤒ A **septem ad sedecim** punctos: scientia tua haud parva est.
- ⤒⤒⤒ Si **plus quam sedecim** punctos habes, Mozart, Rachmaninoff, Saint-Saëns, Bizet, Couperin vel Rolandus de Lassus sine dubio tibi familiares sunt!!!

### De Samsone et Dalila

Non solum fabulae Graecae Romanaeque, sed etiam res propositae Historiae Sacrae litteris artibusque tractatae admirationem nostram excitare possunt. Documentum capio e melodramate componistae nomine Camillus Saint-Saëns, qui actibus tribus drama Samsonis Dalilaeque praebuit. Prima exhibitio melodramatis non Lutetiae, sed in urbe Germanica Vimaria (Weimar) facta est exeunte saeculo proximo. Res agitur in Palaestina, in urbe Gaza. Hebraei in potestate Philistaeorum sunt. Samson, vir incredibili corporis robore Hebraeos rebus afflictis ad pugnandum excitat. Philistaeos multis cladibus afficere potest. Pontifex Maximus Philistaeorum Samsonem comprehendere frustra conabatur. Tum Dalila, puella pulcherrima, pecunia corrupta Samsoni amore moto persuasit, ut sibi causam virtutis indicaret. Ubi Dalila rescit virtutem eius in capillis intonsis esse, caput dormientis totundit eumque Philistaeis tradidit. Qui Samsonem oculis effossis in carcerem coniecerunt. Quodam die Philistaei convivium publicum celebraverunt Samsonemque adduci iusserunt. Domus, in qua omnes epulabantur, duabus columnis mirae magnitudinis subnixa est. Samson inter columnas statuit et a Dalila vehementer insultatur. Tum ille auxilium Domini Dei implorat et ab eo petit, ut iterum robur accipiat. Dominus Deus preces eius exaudit, et Samson columnas concutere potest. Philistaei domus ruina obruuntur, Samson simul cum hostibus de vita decedit. Inultus autem non perit.

In opere componistae chori magnae puchritudinis sunt. Motus animi hominum etiam sincinis bicinique exstant et eminent. Bicinio Dalilae et Pontificis Maximi invidia cupiditasque regnandi et ulciscendi optime exprimitur.

Primo melodrama Samsonis Dalilaeque Lutetiae parvi ducebatur. Auditores opinionibus falsis oppressi auctorem operis componistam Riccardum Wagner imitari voluisse affirmaverunt. Musicae modi componistae Germanici autem non aestimabantur.

Paulo post sententia falsa mutata est. Hodie melodrama illud haud raro in scaenis Francogalliae admirari potest.

Barbara Maier



## De schola Neapolitana

Septimo decimo saeculo exeunte fere omnes urbes Italiae theatris, in quibus melodramata praebentur, excellunt. Melodramatis genus enim apud principes et apud vulgus, praecipue in urbe Neapoli, multum valet. Aula regia magnificentia splendoreque praeclara melodramati maxime favet. Alessandro Scarlatti, componista ille, qui hac in urbe sedem collocat, auctoritate multum potest. Componista illo iuvante Neapolis urbs, quae numero incolarum alias urbes Italiae superat, per multos annos primas partes in usu artis musicae agit. Cantatores cantatricesque



Farinelli, cantor castratus, omnium admirationem habuit.



Imago saturica cantatoris castrati nomine Caffarelli, qui theatrum secum asportat.



Imago haec nos certiores facit de genere bellico exoticoque melodramatis scholae Neapolitanae

artem hanc diligenter penitusque cognoscunt. Saepe decem annos in studio artis versantur. In altissimo gradu positi omnia subter se habent. Compositores optatis eorum respondere debent. Constat autem cantatricem celeberrimam, nomine Francesca Cuzzoni, Londinii compositori nomine Georgus Fridericus Haendel iram movisse. Nam sincinium quoddam cantare solebat. Haendel ira motus mulierem cepit affirmans

se eam e fenestra aperta emissurum esse. Tum cantarix cantavisse dicitur. Eadem mulier media in scaena aemulae cuidam alapham duxit. Et ille cantor castratus nomine Farinelli collegam eminentem nomine Caffarelli quoque media in scaena amplexus est, cum cantum eius valde diligeret. Ceterum Caffarelli mercedibus suis ducatum emere potuit.

Melodrama sane eo tempore minus valebat quam ars cantatorum. Sincinium melodramaticum autem nimis adhibebatur. Melodramata nihil aliud quam cumuli sinciniorum esse videbantur. Forma haec nova, quae signum scholae Neapolitanae erat, celeriter per totam Europam divulgebatur. In numero eorum composerum, qui forma nova utebantur, erant in Italia magistri Scarlatti et Pergolesi, in Germania magistri Haendel et Hasse.

Barbara Maier



### De cantu malefico



Ulyxes et Sirenes

Haud raro apud veteres Graecos ars musica hominibus malefacit. Ecce exemplum praeclarum, quod ad Ulixis errores pertinet!

Ulyxes ab Ilio in patriam Ithacam rediens diu per mare navigavit ventis periculis agitatus. Aliquando prope eam insulam navigavit, quae a Sirenibus habitabatur. Sirenes partem corporis superiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam. Iis fatum fuit tam diu vivere, quamdiu nemo mortalis carmina earum audiens praetervectus esset. Itaque Sirenes homines

praetervehentes carminibus ita perturbabant, ut insulam intrarent et a feminis necarentur. Ulyxes monitus a Circe, Solis filia, aures comitum cera obturavit eisque imperavit, ut ipsum ad malum alligarent. Sirenes cantu miro et Penelopae vocem imitantes Ulixem illicere conabantur. Sed frustra. Ulyxes alligatus carminibus resistere potuit. Comites facile insulam praeternavigaverunt. Ita Sirenibus fatales fuerunt. Prudentia Ulixis superatae Sirenes se in mare praecipitaverunt.

Etiam in Germania fabulae de carminibus maleficis existunt, quarum celeberrima de nymphe nomine Lorelei est. Nomen eius trahitur e rupe ardua prope Rhenum flumen sita, quae Lei appellatur. Locus hic voci miro modo resonat.

Lorelei in rupe habitabat et cantu suavi nautas praetervehentes alliciebat. Qui vortices fluminis neglegentes undis mergebantur. Nymphe non solum optime cantabat, sed etiam magna pulchritudine erat. Cantans enim capillos longos colore flavo comebat. Postremo autem ipsa amore victa in flumen se praecipitavit. Numquam ex aqua reversa est. Inter poetas, qui nympham pulchram cantaverunt, Henricus Heine notissimus est.

Barbara Maier



### Iucundarum cantiunculae memoriarum excitatrices

Hoc mihi ante omnia fatendum esse censeo, musicae artis parum studiosum me praeteritis fuisse annis, praesenti aetate esse, ac, nisi conjectura fallor, in posterum quoque tempus fore.

Nam classica, quae dicitur, musica, reverenti quidem admiratione digna, sublimior a me difficiorque iudicatur, quam ut apte de ea disseram ac perite; levius autem genus, quod in cantiunculis auditu iucundis plerumque consistit, profanum illitteratorum genus magis quam philologos philosophosve decere arbitror.

Ut unum saltem alieni a symphoniacis animi mei afferam exemplum, histriorum colloquia sonis adiectis praeponderari, quod in taeniolis cinematographicis haud raro fit, aegerrime fero, utpote cui maioris momenti esse videatur narrationis, ut vulgo dicitur, cursum sequi, quam modis extrinsecus additis tenuioris delectationis gratia suaviter averti.

Cum vero in urbe Remopoli (Italice: San Remo) annua illa melodiae exhibito apparatur, facere non possum quin tacita indignatione exardescam, quod per plures hebdomades de nullo alio argumento tam prolixet et in actis diurnis et in televisificis emissionibus disputetur.

Nec minore contemptione fastidio immodicam illam ac paene superstitionem, de dicam vesanam, adorationem, quam famosis cantorum cantricunque gregibus adulescentes praestant, ut triginta abhinc fere annos factum est 'Blattis' illis (Anglice: Beatles), nunc vero 'Aromaticis sive Piperatis Puellis' – si recte interpretor reddoque usitatum artificiosumque cognomen 'Spice Girls' – cotidiano cultu fit.

Ceterum, cum gratias iucundasque adulescentiae memorias suapte natura ab obliuione cantiunculae vindicare valeant, placida quadam dulcedine nonnullas cantilenas aequalibus meis (sum prope quinquagenarius) probe notas ego quoque interdum mecum ipse recolo neque, quamvis absconsim voce, cantitare barbam mihi met tondens erubesco.

Tunc vero, imaginario quasi speculo repercussum, Orestem illum agnoscere ac revisere videor, qui septendecim annos natus in Americanos invasores exsecrabatur remotas Asiae regiones inter meridiem et orientem solem sitas letiferis vaporibus ex aeronavibus deiectis crudelissime vastantes: Iisdem temporibus Ioannes Morandi, adulescentiam vixdum egressus, omnia Italorum oppidula pervagans, ad citharam sic cantabat: "Erat olim adulescens quidam, cui, haud secus ac mihi, et 'Blattae' illae et 'Saxa delabentia' (Anglice: Rolling Stones) valde placebant....."

Quid, quod iisdem fere annis Catharina Caselli, alacris puella flavicoma, crebris agilioris corporis motibus acuta voce modulabatur praeclarum illud: "Nemini me iudicare licet, ne tibi quidem"? Titulo isto, subsequentibus cantiunculae verbis praetermissis, audacior insolentiorque iuventutis modernae audacia peregriegie significabatur, quae nulli seniorum auctoritati obnoxiam esse se patiebatur.

Ut suprafato insistamus argumento, memini capillatum cantorem Francogalicum, nomine Antonium (Antoine), apud Italos parumper enotuisse novum quiddam satirice canendo: "Si pulcher es, lapides in te coniciuntur. Sin autem aspectu foedus, lapides nihilominus in te coniciuntur. Quidquid feceris, quocumque te contuleris, semper ori tuo lapides impingentur." Prima statim auditione de meracis agi putares ineptiis; re vero altius inspecta, concertatorium inesse facilis cantiunculae vim mira-bundus concluderes: Nam et illis versiculis adulescentium alienus a matu-

ris hominibus adumbrabatur animus, quorum quisque, adulti vixdum persona indutus, iuvenili se quondam licentia lusisse oblitus, maledico malevoloque inconsideratam filiorum lasciviam carpere dente consuevisset: Non posse iuvenem, quoquo modo gereret, senibus placere, implicite id significabatur, Nec silentio quidem praetereundus est Hadrianus Celentano, agrestis in vivendo parsimoniae perperam amissae praeco vehementi desiderio motus: In omnium memoria penitus procul dubio insedit puer ille "qui olim in via a Christophoro Gluck nomen trahente incoluerat", quem a suburbanis pratulis in medium migravisse urbem sincere paenitebat.

Hoc saltem igitur, praeter cetera, musicae arti ascribatur laudi, quod suavidico sonorum incantamento a caliginosa praesentis aetatis tristitia avecti in praeterita quodammodo redire videmur.

Orestes Carbonero



## De iubilaeis hoc anno celebrandis

(Pars tertia, III)

### Quo modo Civitates Unitae Americae anno 1848° magnarum hodierni territorii sui partium potitae sint

Cum in Helvetia nostra de nova constitutione creanda verbis magnis et cogitationibus certaretur, cum tota fere in Europa populorum ira in principes revolutiones moliretur, trans Oceanum Atlanticum Civitates Unitae Americae (CUA) bello prospere gesto magnas illius terrae partes occupaverunt. Mexicum, cui terrae illae antea fuerant, armis Americanorum superioribus resistere non potuit. Cur autem bellum inter CUA et Mexicum exarserit et qua de causa per biennium saevire non desierit, mihi brevi explicandum esse oportet.

Saeculo XIX° p.Chr.n. ineunte Mexicum ceteraeque Americae 'Latinae', quae dicitur, terrae omnes - excepta Brasilia - libertatem nactae et ab Hispania separatae sunt. Tunc Mexicum longe in septentrionem patebat: California, Nivata (vulgo: Nevada), Arizona, Mexicum Novum Texiaque

(Texas) partes rei publicae Mexicanae erant, sed, cum essent longe remotae ab urbe capitali, homines albi vix ibi habitabant, sed Indianorum tribus libere per regiones illas vastas vagabantur.

Tunc anno circiter 1820° nonnulli coloni Americani Stephano (Stephen) Austin duce a regimine Mexicano petiverunt, ut in Texiam immigrare sibi liceret. Quod cum regiones vastas colendas esse censeret, libenter adnuit condicionibus his, ut coloni leges Mexicanas respicerent et cives Mexicanii fidi fierent. Anno 1824° immo Texiae quidam autonomiae status concessus est.

Anno autem 1833° Sancta Anna (Santa Ana) generalis rerum potitus est et autonomiam Taxianam neglegens suffragia non recognovit, vectigalia Texianis imposuit supra modum novosque colonos Americanos immigrare severe vetuit. Timebat enim, ne Americani nimii fierent et Texiam CUA adiungerent. Praeterea regimen Mexicanum servitutem iam aboleverat, Americani autem in Texiam immigrantes haud raro servos Afros secum ducebant.

Tunc Texiani - et coloni Americani et Mexicanorum plerique Texiam incolentes, qui Sanctae Annae dictaturam diutius ferre nolebant - Texiam sui iuris esse declaraverunt. Sancta Anna autem anno 1836° mense Februario magno exercitu collocato in Texiam irruit, ut subiectos rebelles ad oboedientiam reduceret. Exercitus Texianus vix exstitit. 160 circiter homines Gulielmo (William) Travis et Iacobo (Jim) Bowie ducibus castra Antoniopolitana (San Antonio), quibus nomen Alamus (Alamo), monasterium pristinum, per complures dies fortiter contra exercitum Mexicanum defenderunt, sed castris expugnatis omnes fere trucidati sunt. (Qui plura de pugna Alamensi scire voluerit, pelliculam a Ioanne (John) Wayne factam, cui titulus 'Alamo', inspiciat). Alia autem cohors Texiana, cui Sancta Anna se ei parcitum promiserat, postquam se dedidit, immisericorditer mactata est.

Tunc Sancta Anna de victoria non diutius dubitans ad Sancti Hyacinthi flumen (Rio San Jacinto) castra collocari iussit. Ibi ex improviso a Texianis superstibus Samuele Houston duce propulsus et captus est, quamvis rustici veste indutus fugae se mandare conaretur. Texiani eum non prius manu miserunt, quam Texiae independentiam agnosceret militesque Mexicanos in Mexicanum ipsum reduceret. Sic Texia anno 1836° liberata est.

Multi Texiani iam tunc temporis patriam suam CUA adiungere volebant,

Andreas (Andrew) Jackson, Americanorum praeses, autem timens, ne proelia interna emergerent, si novam civitatem servitorum in unionem exciperet, abnuit. Civitates enim Americanae iam diu rixabantur, quotienscumque nova civitas in CUA excipi volebat: septentrionales civitates tantum 'liberas', quas dicebant, i.e. servis abstinentes, meridianae autem serviculores tantum excipere studebant.

Anno 1845° autem populi Texiani pars maior suffragiis statuit, ut Texia abhinc esset civitas intra CUA. Mexicanii, qui iam anno 1836° independentiam Texianam non nisi dentibus frementes recognoverant, nunc ira capti immensa bellum contra Texiam novum moverunt. Americani primo dubitaverunt, utrum Texianis fratribus succurrerent an non: Civitates septentrionales bellum sibi inutile (immo inoxium) recusabant, sed meridianae Texiam imo corde Americanam fieri cupiebant. Sic anno 1846° bellum exarsit.

Americanii militum numero inferiores, sed armis et ducum ingenio superiores Mexicanum invaserunt et terra marique aggressi sunt. Mexicanii fortiter pugnaverunt, sed resistere non potuerunt. Denique et Mexica urbs expugnata est. Multum victoris Americanis profuit tunc centurio iuvenis quidam nomine Robertus Eduardus Lee, qui postea Bello inter Civitates Gesto Americano legiones meridianas in Yancos duxit. Toti autem exercitiū praefuerunt Zacharias Taylor et Winfridus Scott generales.

Mexicanis plane devictis pax icta est condicionibus his: Texia civitas CUA adgregata est. Fluvius Grandis (Rio Grande) abhinc Mexicanum et CUA separat. California - excepta California Inferiore (Baja California) paeninsula -, Nivata (Nevada), Novum Mexicanum Arizonaque e potestate Mexicanā in Americanorum dicionem transgressae sunt pretio XV millionum dollariorum tantum. Sic CUA tertia fere territorii ante bellum Mexicanum possessi parte auctae sunt.

Texia, de qua eo bello pugnatum erat, autem non diu intra CUA mansit. Iam anno 1861°, cum bellum Mexicano multo maius exardesceret, Bellum enim inter Civitates Gestum Americanum (quod interdum falso 'civile' dicitur), Texia unionem reliquit et se novae confederationi civitatum meridianarum adiunxit. Quibus autem anno 1865° superatis in CUA redire coacta est. Sic Texia intra unum saeculum quinques dicionem mutavit: In principio Hispanis erat, dum Mexicanis, tunc sui iuris, deinde Civitatibus Unitis, postea Civitatibus Confoederatis, denique iterum Civitatibus Unitis. Vix alia regio in orbe terrarum inveniri potest, quae intra centum annos

totiens dicionem mutaverit, quotiens Texia!

Nova territoria, quorum Americani tam parvi pretii potiti erant, non vacua erant. Praeter aliquot incolas Mexicana origine nationes Indianicae innumerae ibi habitabant. Quibus nunc vita dura imminebat, cum Americani in novas regiones occupatas colonos mittere coeperunt.

Anno vero 1849° in California aurum inventum et effossum est. Tunc homines auri cupidissimi toto ex orbe terrarum eodem confluxerunt spe divitias immensas arripiendi instigati. Plerique autem pauperiores redierunt quam advenerant, nam aut nil auri invenerunt aut homines scelerati eis aurum inventum vel furto vel calliditate vel caede substraxerunt. Indiani autem maxime patiebantur: Si solo patrio exire noluerant, vi fugabantur vel interficiebantur. Quos interdum 'securi bellica effossa' semetipsos defendisse num mirandum est? De bellis autem Indianicis hic disserendi locus non est.

Martin Meier

## Proverbia Hispanica

*Más sabe el loco en su hacienda que el cuerdo en la ajena.*

Plus stultus in praedio suo scit quam sapiens in alieno.

\*

*Antes que acabes no te alabes.*

Antequam perfeceris aliquid noli te laudare.

\*

*Donde hay querer, todo se hace bien.*

Ubi est certa voluntas, omnia bene efficiuntur.

\*

*La libertad no tiene precio.*

Libertas pretium non habet.

\*

*A palabras locas, orejas sordas.*

Amentibus dictis aures surdae.

\*\*\*\*\*

*Bien sabe el sabio que no sabe, el necio piensa que sabe.*

Bene scit sapiens se nescire, inscius autem se scire putat.

\*

*Todos se rien de él, y él de todos.*

Rident omnes eum, et ille omnes ridet.

\*

*En el mejor vino hay heces.*

In optimo vino bodensatz est.

\*

*El primer paso es el que cuesta.*

Gradus primus faex est.

\*

*El cobarde, de su sombra ha miedo.*

Ignavus umbram suam quoque timet.

\*

*Tanto la verdad es odiada, como la mentira amada.*

Tantum veritas odiosa est, quantum mendacium amatum.

\*

*Tres muchos y tres pocos destruyen los hombres locos: mucho gastar y poco medrar; mucho hablar y poco saber; mucho presumir y muy poco valer.*

Tria 'multa' et tria 'pauca' homines amentes corrumpunt: Multa impendere et pauca proficere; multa loqui et pauca scire; multa de se ipso praedicare et pauca valere.

\*

*Del árbol caido todos hacen leña.*

Ex arbore, quae cecidit, omnes ligna faciunt.

\*\*\*\*\*

*La mala fama vuela como ave y rueda como la moneda, y la buena en casa se queda.*

Mala fama velut avis volat et velut moneta volvitur, et bona fama domi manet.

\*

*Cada uno en su casa es rey.*

In sua domo quisque rex est.

\*

*El bien no es conocido hasta que es perdido.*

Res bonae non cognoscuntur, quoad amissae sunt.

\*

*Aqua fría y pan caliente, nunca hicieron buen vientre.*

Aqua frigida et calidus panis ventri numquam prosunt.

\*

*La necesidad hace maestros.*

Necessitate magistri nascuntur.

\*

*El diablo no duerme.*

Diabolus non dormit.

\*

*En la necesidad se prueban los amigos.*

Amici necessitate probantur.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## **Clericus vagans queritur**

Hugo Cenabensis (1) in numero clericorum erat, qui sede ecclesiastica egentes ordinationis vagae erant. Regiones perlustrabant, apud principes officiis capellanorum praeyerant. Haud raro negotiis laicis fungebantur. Auctor noster initio duodecimi p.Chr.n. saeculi natus est. Et in Franco-gallia et in Britannia litteras docebat. Admirabilem naturam ad versus faciendos habebat. Itaque cognomen primatis, id est poetarum principis, ei datum est. Sequuntur aliqui versus poetae, qui sortem miseram clerici vagantis queritur. Domo domini sui enim electus est.

Dives eram et dilectus,  
inter pares praeelectus (2)  
modo (3) curvat me senectus  
et aetate sum confectus.  
Paupertate fero pondus,  
meus ager, meus fundus,  
domus mea, totus mundus,  
quem pererro vagabundus  
quondam felix et fecundus  
et facetus et facundus  
movens iocos et iucundus  
quondam primus, nunc secundus  
victum quaero verecundus.  
Verecundus victimum quaero,  
sum mendicus, ubi vero


victum quaeram nisi clero (4)  
enutritus in Piero (5)  
eruditus sub Homero?  
Sed dum mane victimum quaero  
et reverti cogor sero,  
iam in brevi (nam despero)  
onerous vobis ero,  
onerous et quo ibo?  
Ad laicos non transibo.  
Parum (6) edo, parum bibo.  
Venter meus sine gibo (7)  
et contentus parvo cibo,  
plenus erit parvo, libo (8).  
Et si fame deperibo  
culpam vobis hanc ascribo.

Hugo Cenabensis

- |                |                     |
|----------------|---------------------|
| 1) Cenabum     | Orléans             |
| 2) praeelectus | = praepositus       |
| 3) modo        | = nunc              |
| 4) clero       | = a clero           |
| 5) Pierus      | pater novem Musarum |
| 6) parum       | = paululum          |
| 7) sine gibo   | auctor noster macet |
| 8) libo        | = veluti pane dulci |

Tradidit: Barbara Maier

# Aenigma



## Solutio

Iudi 'De fabulosis animalibus' libelli 4/98 (paginae 81-83):

**MINOTAVRVS**

Stella GITTA

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM  
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA  
**IDIBUS MAIS** EST! SOLVTONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM  
DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium  
secundum et tertium praemium

LIBER  
LIBELLVS

### ad libram

- 1 urbs magna in Italia sita
- 10 prima luce apparet (Gen.)
- 11 praebe
- 12 domina
- 13 fortiter suscipiat
- 15 post vulnus sanatum non-numquam restat
- 17 dea Celtica equorum (Dat.)
- 18 adhibere
- 20 rex Assyria, maritus Semiramidis reginae (Gen.)
- 21 bestiolarum melliferarum (Gen. pl.)
- 23 rapui vel abstuli
- 24 in aqua versor
- 25 pars currus, etiam sidus sic nominatur
- 26 potestas divina
- 28 exempli gratia
- 29 terra in occidente Africae septentrionalis sita

### ad perpendiculum

- 1 eques Romanus, fautor Horati et Vergili poetarum (Acc.)
- 2 poeta Graecus (Abl.)
- 3 ille vir, qui olim Atheniensibus leges severissimas constituis-se fertur (Acc.)
- 4 filia cuiusdam regis, a lunone dea in vaccam mutata
- 5 preces
- 6 arbor Apollinis dei sacra
- 7 templo (Dat.)
- 8 madida
- 9 coniuga mulierum et virorum
- 14 nudavi
- 16 mente vel fortitudine (Abl.)
- 19 urbs ad litus Africae septentrionalis sita (Dat.)
- 22 non multa
- 26 in mari sine nave feratur
- 27 municipium (breviter)
- 28 sex (numerus)
- 30 Aulus (breviter)

Daniel Weissmann



**Estelle GITTA**



© 1998 Estelle GITTA / Editions du TRICORNE

### Liber novus nuper editus!

Hic liber, quem Stella Gitta ingeniose compo-  
suit, continet ludorum at-  
que aenigmatum vario-  
rum paginas 61 et solu-  
tionum 24!

Omnes legentes aliquid aptum et iucundum ad scrutandum et solven-  
dum invenient.

Et hominum ludendi vo-  
luptas satiatur et mens  
memoriaque acuntur!

Sive es magister, sive es discipulus, sive es Latinitatis amator, sive solus ludis, sive cum amicis vel professore adiuvante his ludis uteris – hoc opus tibi utile et suave erit!

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

---



---



---

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) ---  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

---



---



---

Ort, Datum:

Unterschrift:

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Rosenweg 7  
8353 Elgg

Liber constat XXIV Helvetici nummis (24 CHF), quibus addendi sunt VII nummi (7 CHF) ad sumptus cursuales.  
Per schedam infra positam petitur.



EMPTIONIS SCHEDA  
secunda et remittenda ad:

Editions du TRICORNE, rue Lissignol 14, CH-1201 GENEVE

Exemplarium	nummerus	Titulus	Unius pretium	Cunctum pretium
	LATINE LVDERE		24 CHF	

Cursualis missionis sumptus: 7 CHF

Summa solvenda: .....

Pecunia mittenda est (per mandatum cursuale internationale) ad hunc computum mandatorum cursualium:

KAPLUN Serge  
Editions du TRICORNE  
1201 GENEVE (SUISSE)  
12 — 13799 — 5

Indica, quaeso, "LATINE LVDERE" in area communicationis !

Dominus/a/ella: Nomen .....

Inscriptio cursualis (via et numerus) .....

Codex cursualis ..... Urbs ..... Natio.....

Die ..... Subsignatio .....

RVMOR VARIVS  
c/o D. Weissmann  
Tellstrasse 30  
3014 Bern

PP/Journal


4702 Oensingen

5+6/98

IDIBVS DECEMBERIBVS  
MCMXCVIII

1	2	3	4	5	6	7	8	9
10								
11								
12								
13								
14								
15	16							
17								
18								
19								
20								
21								
22								
23								
24								
25								
26								
27								
28								
29								
30								

Nomen emittenti et inscriptio cursualis:



TOMVS 21

FASC. 126